


Kem 3484 (1-6)

541





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MÉDICA
 SISTENS DVRIA QVAEDAM
 C O N T R A
INFLAMMATIONES
OCCVLTAS
 IN
FEBRIBVS PVTRIDIS.

QVAM
 CONSENTIENTE ILLVSTRI
 MÉDICORVM ORDINE,
 IN REGIA FRIDERICIANA
 P R A E S I D E
 VIRO MAGNIFICO ET ILLVSTRI
D. PHILIPP. FRIDER. MECKEL
 ACAD. FRIDER. H. T. PRO-RECTORE,
 MEDIC. ET ANATOM. PROF. P. O.
 INSTITVTI CLINICI CHIRVRGICI DIRECTORE
 ET CIRCVL. SALIC. ET MANSFELD.
 PHYSICO,
 PRO
 SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
 RITE OBTINENDIS
 PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
 S V B M I T T I T
 A V C T O R,
ABRAHAMVS ZADIG,
 WRATISLAVIA - SILESIUS.
 DIE VII. OCTBR. MDCCCLXXXVIII.

H A L A E,
 APVD FRANCKE ET BISPINK.



DIGESTA LIBRARIAE
MAGDEBVRGENSIS

INVENTARIUS
OCCULTA

RELIBERATIONIS

LIBRORVM INVENTARIVM

ANNO MDCCLXVII

LIBRORVM INVENTARIVM

ANNO MDCCLXVII

LIBRORVM INVENTARIVM

ANNO MDCCLXVII

LIBRORVM INVENTARIVM

ANNO MDCCLXVII

LIBRORVM INVENTARIVM

PRAEFATIO.

Dissensiones antiquissimorum Medicorum in rebus medicis, theoreticum aut hypotheticum Medicinæ campum potissimum concernebant. Etenim, quum accurata phænomenorum in machina humani corporis obvenientium observatio Medicos induceret, ad hunc illumve ejus statum præsupponendum, ut hoc illudve phænomenon inde explicarent: non potuit non fieri, quin vel perspicacissimi eorum, quamdiu exactior interioris machinæ humanæ cognitio eos latebat, hanc illamve corporis conditionem statuerent,

tuerent, quæ nec omnibus phænomenis congrueret, neque pro aliis jam definitis machinæ adjunctis locum obtineret. Ast ipsa hæc res, obscurior videlicet interioris nostræ machinæ cognitio, non veteres tantum, sed et recentiores Medicos ad plurima provocavit dissidia. Quis enim ignorat, quam variæ à Galeno ad Boerhavium obtainuerint sententiæ de Inflammationis origine! Nonne posterioris hac de re doctrina floruit, donec Robertus Whyttius, aliquique plures rem sive statum nostri corporis, ejusque adjuncta exquisitus definiendo, eam refutarent, refutataque magis probabilem substituerent? Quotas lites move-re Medici, quum de indole atque cauſa febris putridæ disceptarent! Quas-ne hypotheses prior Medicorum ætas tulit, quas nostra plane recusat!

Eadem



Eadem vero res, quæ veteres Me-
dicos in errorem abduxit, abducit et re-
centes. Quis enim jure contendat, no-
stra ætate rem medicam, et si admodum
exulta sit, eum attigisse perfectionis
gradum, quo quævis dubia contra men-
tem theoriis inhærentium prorsus eva-
nescant? Quæ autem quum ita non
sint, recte colligitur, et nostras et pos-
teras Medicorum disceptationes per-
ficiendæ arti nostræ non minus ser-
vire, quam promovendis ejus primo-
rдиis servierunt disceptationes Medi-
corum antiquissimorum. Doctrinas
enim, quas Medici theoretici tuentur,
quam maxime in actus eorum, qui
praxi se dedunt, influere, neminem fu-
git. Quare et neminem fugiet, quod
si vacillent illæ, vacillaturæ sint et hæ,

Nec



Nec igitur Tyronem artis Medicæ
dederit censem, qui proferat dubia
contra Celebrium virorum mentem, si-
quæ ipsi obvenerint interea temporis,
quo Medicinæ operam navans, studuit,
certa ab incertis, quantum per vires
datum est, separare.

Quapropter, quin temeritatis me-
rum præstare verear, dubia mea con-
tra aliorum doctrinam, eam scilicet, qua
inflammatio occulta, comes febris putri-
dæ statuitur, aperire non dubitans; spe-
ro, fore, ut æqui veritatis Arbitri men-
tem meam in dubiis proferendis, quæ
alia non est, quam ut, si forsan errem,
meliora edocear, ob oculos habeant,
atque pro ea suum in me ferant judi-
cium.

SEC-





SECTIO I.

De Inflammatione.

Partem aliquam corporis externam aliquando in tumorem elevari ac tensione, duritie, rubedine, calore, dolore, pulsationeque molesta torqueri, docet optima artis nostrae magistra, Observatio. Quae phaenomena licet inter se discrepantia, si coniunctim vel separatim, plura tamen, in quadam corporis parte occurrant, veteres jam Pathologi, quum idem, parte aliqua

A

cor-

corporis igne ambusta: contingere noscent,
per analogiam *inflammationis* nomine dona-
runt.

Opiniones veterum recentiorumque
medicorum hac de re recensere, erroresve,
hypothesibus eorum implicatos, diuellere,
opus foret supervacaneum atque inutile.
Satis enim abundeque scriptores varii, inpri-
mis Cl. *Burserius* *) egregie hoc iam praef-
stiterunt. Praeterea de theoria inflamma-
tionis fusus differere, a meo abhorret sco-
po. Quum vero dubia quaedam contra ar-
gumenta plurium medicorum, quibus in-
flammationum in morbis putridis occultarum
existentia probatur, proferre mihi pro-
positum sit; absurdum non fore arbitror,
pauca quaedam de inflammatione, antequam
rem ipsam aggrediar, praemittere; ut quo-
nam ex fonte dubia mea scaturiant, exae-
tius intelligatur. Venia itaque detur, rogo,
novissimam ab omnibus fere nostri ævi me-
dicis acceptam inflammationis theoriam,
paucis tantum verbis repetendi.

Ex

*) *Burser. de Kanif Instit. medic.*

Ex tumore, rubore, calore, dolore et pulsatione, quorum symptomatum quaedam saltim, constanter ac perpetuo inflammationem, qua patet oculis, comitantur, colligere licet, sanguinem vehementius fusiusque inflamatam influere partem. Influxus vero ille, et si solito major, inflammationi generandae, i. e. phaenomenis supra enarratis producendis, par non est, quam diu venae, sanguinem ex ultimis arteriolarum finibus revehentes, tantam sanguinis copiam, quanta in arterias intrusa fuerit, accipiunt, revehuntque: transitu enim sanguinis per universum corpus libero manente, et si is citatior velociorve quacunque de causa fiat, quod in febre percipitur, diathesin phlogisticaem generali oriri videbimus, non vero topicam, quae partem quandam corporis unice occupet, reliquis incolumibus manentibus.

Ut igitur pars quaedam inflammetur, necesse est, ut vel sanguis, ab arteriis ad ductus, non omnis a venis recipiatur, quod multifariis a caussis pendet; vel ut tanta copia tantaque vehementia partem urget, ut, licet venae omnem sanguinem, ad eam appulsum recipient, tamen exten-

sione vasorum, nervorum pressione et excretione humorum in parte auctis, inflammatio oriatur; vel demum ut ita in partem impellatur sanguis, ut orificia vasorum lateralalia, vel meatus, quos poros inorganicos vocant, urgeat, dilatet et sibi in aliena loca viam faciat. Quocunque autem modo inflamatio nascatur: sanguis influens mirifice vasa minima replet et distendit. Unde illa, singulos rubros globulos vehentia vascula, quum ultra modum distendantur, plures nunc recipiunt globulos oculisque patefaciunt. Pari modo, finibus eorum distensis, parari sanguini iter ad cellulofae tiae spatiola nemo negabit.

Ab his autem, nempe a dilatatis repletisque minimis vaseulis, atque ab effusione sanguinis in aliena loca, facile rubor, tumor ac tensio partis, in qua effusio illa fit, nascitur. Quum autem a velociori umeriorique sanguinis in partem quandam appulsi, vasa ad majorem constrictionem incitantur; in sanguinem ideo majorem exercent vim, atque ab illo eadem iterum proportione distenduntur, respondentे quippe actione vasorum sanguinis reactioni: quo pulsatio magna cœbriorque fit. Distentis vero

vero vasis, filamenta nervea iis implicata distrahi, divellique necesse est, atque inde dolor, pro sensibilitate nervorum gravior leviorve suboritur.

Sed quomodo influxus fanguinis in vasa minima partis cujusdam velocior vehementiorque fiat, nunc inquiramus. Quod is ab aucta vi cordis originem non trahat, jam experimentis Celeb. *Whyttii*^{*)} satis constat. Egregius enim ille vir, magna cura experimenta instituit, quibus clare evincitur, vim cordis non sufficere, ut sanguis ad minima usque vascula propellatur.

Fac autem, vim cordis ad hoc sufficere, attamen inflammatio inde gigni nequit. Alias enim a simplici quavis obstruktione, si quacunque de causa febris accedit, id est, si motus cordis arteriarumque augeatur, in quo febris natura partim consistit, inflammationem oporteret particularem sive topicam oriri: quod vero quotidianae experientiae repugnat. Neque esse obstaculum in venis, sanguinis redditum im-

^{*)} The Works Robert Whytt, published by his son. 1768. edit. 4to. pag. 211. etc.

pediens, cuique illucet, quia in inflammatione copiosior non tantum sanguinis in arterolas affluxus, verum et impetus requiritur; obice vero in venis haerente, nisi aliunde motus sanguinis incitetur, in arteriis, quibuscum communicant, mora tantum aliqua nascatur necesse est, minime autem inflammatio.

Quanam igitur ex causa fit, ut motus sanguinis in quadam parte expeditior velociorque reddatur? Cl. Whyt, quem experimentis suis constare censeret, vim cordis arteriarumque, sanguini ad minima vascula propellendo parem non esse, aliam hujus motus, eamque magis convenientem inventit caussam, motum nempe vasculorum ipsorum, a vi cordis plane independentem, quem motum vibratorium (*a vibratory motion*) appellat. Motus vero ille vibratorius a crebrioribus contractionibus minimorum vasculorum, fibris muscularibus, ut ait, praeditorum, quæ a sanguinis humorumque, ea permeantium, blando stimulo (*gentile stimulus*) excitantur, pendere arbitratur; quam sententiam pluribus egregiis observationibus, circa diversorum ani-

ma-

malium corpora factis, suffulcit. Vid. p.
228, 229, etc.

En, quod pag. 238. hac de re dicit!
„The whole vascular system is endowed
„with a moving power which is constantly
„excited into action by the stimulus of the
„circulating fluids; so, that the small ves-
„sels, by means of friction, destroy in part
„the momentum of the juices, they, at the
„same time communicate by their gentil vi-
„bratory contraetion, a new impulse to
„them. Every part therefore of the vascu-
„lar system as well as the heart and larger
„arteries, nay, every section even of the
„smallest vessel, is to be conceived as pro-
„moting the circulation of the fluids, that
„great work upon which the life of the who-
„le depends, and in the carrying on of which
„allmost every part of the body is active.

Porro vir ille egregius, ut fententiam
suam suffulciat, ad pharmaca vulgaria, fri-
ctiones nempe, fomentationes calidas stimu-
lantes, penetrantes, nec non ad cataplas-
mata provocat, quae saepe, solvendo obstru-
ctiones, in vasibus serosis, lymphaticis et ali-
is minoribus vaseulis (*small vessels*) hae-
ren-



rentes, medicamentis solventibus internis efficaciora esse afferit, quippe ea, non tam materiam obstruentem attenuare, quam motum oscillatorium vasculorum augere contendit.

„Dum vero, pergit Auctor, circulatio-
„nem in minoribus vasculis, a motu vibra-
„torio, stimulo irruentium fluidorum exci-
„tato, pendere statuimus, necesse est, ut
„vasa in quavis corporis parte, irritatione
„quadam affecta, majoribus frequentiori-
„busque contractionibus, quam fieri solet,
„agitentur. Inde vero motus sanguinis ea
„implentis magis magisque increscit, arte-
„riaeque minimae non solum justo magis a
„sanguine distenduntur, (quo fit, ut pars
„tumeat), sed globuli rubri etiam in vasa
„serosa impelluntur, imo et aliquando, vi
„illa urgente, per dilatata arteriolarum mi-
„ninarum oscula, ad telae cellulofae spatiola
„feruntur: quod necessario accidit, sive mo-
„tus sanguinis in reliquis corporis vasibus sit
„auctus, sive non.“

Unde colligere juxta eum licet, in-
flammationem minime ab aucta vi cordis
arteriarumque aut ab obstruktione, aliqua ex
causa

causa in vasis nata, ut alii magnæ auctoritatis Viri sibi finxere, oriri; sed ab in- crescente crebriori contractione minimorum vasculorum, quae vel a materia ob- struente, fibras eorum distendente, vel ab acrimonia quadam, ea irritante, excitatur.

Numquam, addit, ab obstruktione, nisi simul in parte obstruta adsit irritatio, inflammationem nasci videbis; irritata vero quavis sensibili parte, vel instrumento acuto, aut acrimonia quadam, nunquam effectus ille deerunt, etsi nec obstructio, nec aucta vis cordis prægressæ fuerint.

Qui dein clari in re medica viri theo- riam hanc sibi ornare sumserunt, multis experimentis evincere studebant, esse arte- riis vim subsiliendi propriam iisque insitam, ideoque eas irritabilitate gaudere. (vide Pe- tro Moscati *) Baffano Carminati **) Nu- per-

*) Observation. ed esperienz. ful. sang. fluid. e rapp. sopra l'azione delle arter. etc. Mi- lan 1783.

**) Risultati di esperienz. et observ. sul i vasi sanguigni et sul sang. etc. Pavia 1783.

perrime quoque doctissimi viri, *Antonius Nicolai ****) et *van den Bosch *****), egregie theoriam illam illustravere, aptisque argumentis, vasa capillaria, quae vocant, fibris muscularibus, nec non vi propria fese contrahendi gaudere, meridiana luce clarius demonstrarunt.

Vterque caussam inflammationis in vim muscularem vasorum capillarium, a vi nervorum ad certum quendam gradum austera incitamat, conjicit.

Quando igitur stimulo quodam, vel foris admoto, aut in sanguine nato, fibrae arteriolarum, aut nervi, ad eas serpentes, aut fibrae una cum nervis magis excitantur, necessario sequitur, ut vasa validius velociusque contrahantur et laxentur; atque ideo solito citius et frequentius dato tempore depleteantur. A reiterata vero systole

*) Theoretische und praktische Abhandlungen über die Entzündung und Eiterung etc.
1786.

**) Theoretische und praktische Anmerkungen über das Muskelvermögen der Haargefäße, von *van den Bosch*, Münster und Osnabrück. 1786.



stole et diastole vasa debilitantur, quo fit, ut minorem influxuro sanguini opponant resistentiam; copiosior ergo velociorque ad eas, quam ad reliquas partes, sanguinis erit affluxus. Patet ideo, qua de causa sanguis, contra leges hydraulicas, in corpore humano saepe ad aliquam partem majori copia, quam ad alias feratur: unde omnes inflammationis effectus scaturiunt.

Quod si porro stimulus ille partem quan-
dam ignobiliorem, cum illis ad vitam necessa-
riis, non intime connexam, urget, levius in-
primis, inflammationem omnino topicam pa-
rabit, quin febrem moveat. Si vero contrari-
um evenit, nempe ut partem, cum aliis arcti-
us conjunctam vehementer torqueat exagitet-
que, effectus illius ad alias, vel proximas,
vel remotas partes, consensu nervorum va-
forumve communicantium, deferuntur, ideo-
que cor, arteriasque majores ad motum ve-
hementiorem incitare et febrem movere va-
let. Febris vero illa haud secus, ac comes
aut pedissequa topicae inflammationis spe-
ctari debet. Interdum vero principium il-
lud irritans non tantum ad partem peculia-
rem tendit, sed universae humorum massae
infidet, atque ita per totum corpus diffu-
sum,



sum, omnia vasa imo cor ipsum afficit. Tum, licet exigua et tam parvi momenti topica inflammatio sit, ut febrem movere non possit, tamen cum febre conjuncta foret, quæ saepenumero idcirco, etiam si inflammatio topica discussa jam sit, diu adhuc perseverat. Aliquando vero accidit, ut materia irritans, sic per universam humorum massam dispersa, ad nullam proprie partem invitetur aut vergat, sed tantum transeundo vasa et cor, fibras eorum musculares exagitet et ad validiores cogat contractions. Tum, quum systema nervosum ab hoc stimulo universalis perturbetur, spasmus vasorum inde ortus et sanguinis motus acceleratus febrem inflammatoriam accendent. Quando igitur vis principii, febrem illam excitantis, adeo augetur, ut ad magnum vel summae vehementiae gradum provecta sit, necessario systemata illa principalia, vasculare et nervosum puta, aequali ratione affici debent: unde gravissima symptomata, tanquam intensionis hujus soboles, gigni videbimus; nempe cephalaeam aut cephalalgiam magnam: ardorem et siccitatem oris interni, linguam albidi am arescentem, pectus oppressum, respirationem strepentem, feryentem, anhelosam, anxietatem ve-

vexantem, praecordia constricta; sitem inextinguibilem vel polydyspsiam, anorexiā, hyperesthesia, delirium, quod pro gradu febris, et furiosum aliquando evadit; cutem persiccam, lotium pareum, erudum, valde coloratum, flammatum; pulsus celeres, validos, duros, magnos.

Saepenumero vero accidit, ut materia illa irritans febre inque excitans, corpus jam antea infirmum, aliumque jam formitem morbificum secum ferens invadat. Tunc febris, a stimulo illo orta, alias inflammatoria vulgo dicta, a vitio praexistente contaminata, hujus induit naturam, et, pro varietate vitii latentis, nomen ex duabus ills causis compositum, nanciscitur.

Sed haec tenus de causa inflammationis. Supereft, ut de modo exitus ejus, quo inflamatio finitur, et si ad nauseam usque a plerisque repetitus sit, quidpiam allegem. Solvitur, ut sat notum est, inflamatio vel discussione, suppuratione aut gangraena vel scirro. Si malum ex toto cessit, quin ultra, vel in parte inflammata vel in aliis relinquatur labes, morbus discussus esse dicitur. Si vero, producto gradu inflammatio-

nis



nis exquisitiori, humor coacervatus, inhae-
rens concoqui incipit, purisque acquirit
naturam, tum inflammatam partem suppura-
tione tentari dicimus. In gangraenam
autem abit, si, deficiente motu vitali, pars
emoritur, vel spasmo eo modo strangula-
tur, ut omnis humorum circuitus cesset et
ferme nulla in ea vita superstes sit. Quan-
quam autem suppurationem et gangraena in-
flammationem saepe excipient, tamen non
semper illam praecedere iis necesse est. Sed
quum de hoc argumento infra, ubi de na-
tura morbi putridi sermo erit, sim dissertu-
rus, alienum fore existimo, hic amplius ea
de re agere.

SEC.



S E C T I O N I I.

De febre putrida.

Quum hucusque de illo morborum genere, cuius eminens Symptoma ab irritabilitatis et sensibilitatis intensione efficitur, sermo fuerit; nuñ ad aliam humani corporis affectionem, a statu systematis vasculosi et nervei, illi opposito ortam, quae febris putrida audit, progrediar. In hac differentiationis meae parte, non solum naturam hujus morbi, id est, modum, quo machinam nostram invadit, ac symptomata ex eo manantia, enuinerare conabor, sed praeprimis opinionem illam, qua inflammationum occultarum in hoc morbo existentia statuitur, refutare studebo.

Febris ergo continua vel *continens*, vel *remittens*, in qua universa sanguinis massa diathersin, quae fluidorum putrescentium natum aemulatur, adepta est, veteres medicos induxit, ut morbum illum febrem putridam, vel synochum putrem appellaverint.

Magna



Magna inde inter medicos orta est lis
de natura sanguinis hoc in morbo: alii il-
lum vere putridum esse sustinebant, alii con-
tra negabant. Inter recentiores vero plu-
rimi, imprimis Cl. *Grant* *), *Ludwigius* **),
Burserius ***), *v. Swieten* ****) *Lieutaud* *****),
luculentis rationibus evincere studuerunt,
sanguinem, quam diu in corporis viventis
vasis circumfluat, perfectam putredinem,
acquirere non posse, sed in synocho illa pu-
tri eam adesse statuunt sanguinis deprava-
tionem, quæ ad alcalescentiam et incipientem
putredinem tantum pronior fiat, non autem
revera putrefactat.

Quaecunque autem sit sanguinis in hoc
morbo conditio, necesse tamen est, ut cauf-
fa

*) *William Grant Beobachtungen über die Na-
tur und Heilung der Fieber, deutsche Ueber-
setzung.* Leipzig, 1775.

**) *Institut. med. Clinic. P. I.*

***) *L. c.*

****) *Commentar. in Boerhaav. aphoris.* §. 730,

*****) *Synops. univers. Prax. med.*

fa, vel materia depravationem illam gene-
rans, efficax, et vi a crassi humorum nostro-
rum tam aliena praedita sit, ut intimam
sanguinis mixtionem destruere valeat. De-
structio vero ejus mixtionis vel subito, vel
pedetentim perficitur. Cognitum enim est,
morsu quorundam serpentum, minimo tem-
poris spatio, tantam oriri sanguinis dissolu-
tionem, ut subitanea insequatur mors.

Quum vero materia illa, licet efficax,
ut diximus, rarissime vel nunquam tanta
vehementia in corpus agat, ut dissolutionem
illam mortemque subitaneam efficiat: colli-
gere licet, illam eam esse naturam naestam,
ut sensim pedetentimque vim suam nocivam
in sanguinis massam exerceat.

Neminem autem, qui exactam oecono-
miae intima corporis nostri ideam sibi
acquisivit, fugit, quod machina nostra insul-
tationibus cuiusvis materiae alienae, valde
resistat, noxiaque imminentia dimovere
adlaboret. Vasis enim peculiaris ineft vis,
qua, quamprimum morbifica materies hu-
mores inquiet, actionem suam in sanguini-
nis massam ita augent, ut materiam alienam
vel assimilent, eliminente, aut in-

B

par-



parte quadam corporis deponant. Quo effici potest, materia nulla facile sanam humorum crasis destrui posse, nisi vis illa, va- sis insita, qua vita incolmis manet, prius infringatur. Quum igitur in febre illa, putrida dieta, perpetuo phaenomena, sanguinis crasis a principio quodam destructam indicantia, deprehendimus; absurdum fore non crediderim, si quis inde colligat, vim systematis vascularis esse prius infringendam, quam febris putrida sepe manifestet.

Quicunque autem fomes febris putridae genitor sit, sive in corpore generatus, sive forinsecus ingestus; cur quaque ratione, sistema vasculare ab eo debilitari imo et frangi possit? potissimum inquire debet. Primum igitur de genesi febris putridae ejusque caussis mihi agendum erit, antequam de morbo ipso differamus.

Febris itaque putrida vel primarius est morbus, scilicet qui per se corpus, ceterum sanum, affligit: ideoque pro distincta febrium specie habenda est; aut est morbus secundarius, qui ab aliis morbis praegressis, sive neglegitis sponteque turbatis, sive perversa me-

thodo

thodo curatis, originem dicit, quem idcirco tanquam varietatem morbi primarii prægressi spectare debemus. Enimvero hic, quum de febris illius natura, differere nobis propositum sit, conveniens erit, eam ut morbum primarium, peculiaribus ex caussis corpus ceteroquin sanum aggredientem, spectare.

Omnia humilia, paludibus aquisve stagnantibus circuindata loca, quorum atmosphaera fere semper vaporibus mephiticis gravata est; tempestas pluviis gravis, diu aspera, in qua austro vel afriecus regionem perflant, commoratio in nosocomiis, carceribus, navibus bellicis; porro assumptio alimentorum ex regno vegetabili aut animali, corruptiorum inconsuetoruinvenimus et diu protracta; et tandem, ceteris consentientibus, principium quoddam peculiare, aëri atmosphaericō innatans, quod *Miasma* dicunt, generationi saevi hujus morbi favere, experientia docuit. Licet autem omnes hae res per se diversissimae sint, in hoc tamen convenient, quod materiam quandam, ab humorum nostrorum natura maxime alienam summeque efficacem, aut corpori inferant, aut in eo retineant, qua

B 2

vires



vires internae, machinae conservatrices ita
franguntur, ut impedire nequeant, quo mi-
nus subtilissimae sanguinis partes ab ea in-
ficiantur.

Quum igitur dictarum rerum effectus
semper idem sit, alienum non fore putem,
unam tantum ex hac caussarum turba, Mi-
asma scilicet, feligere, effectusque, quos
in corpus producit, investigare, ut proba-
bilem inde phaenomenorum, ex omnibus
his manantium ideam proferamus. Po-
namus itaque a *Miasmate* corpus sic affe-
ctum esse, ut phaenomena illa appareant,
quorum concursus eam plane designat fe-
brem, quae putrida audit: primum ideo na-
turam miasmatis, quantum fieri potest,
disquirere, tum effectusquos producit, ex-
plorare contendam.

In omnibus naturae regnis, scilicet ani-
mali, vegetabili et minerali, ab opifice rerum,
mortalius usui reliquis, quaedam nociva,
mortem aut gravissimum periculum machi-
nae manantia, inveniuntur. Haec inter alia so-
lida erodendo, stringendo, alia fluida dis-
solvendo, alia demum nervos stupefaciendo
vim suam exercent, viresque ac structuram

sen-

sensim destruendo, mortem inferunt. Quae vero omnia, et si modo, quo in corpus a-gunt, maxime a se distant; tamen, quum effectus eorum, destru^cctio nempe machinae semper eadem sit, autores ea venena dixerunt.

Notum quippe satis est, quod serpentes omnes, morsu occidentes, materiam quandam sub dente, in facculo peculiari congestam, dum animal mordent, vulneri injiciant, quae statim sanguini se inserit, et cras in ejus intimam pervertendo, mortem inevitabilem reddit; quae tamen ocyus seriusque evenit, prout materia multis paucisve nocivis facultatibus praedita est *). Sunt enim serpentum quidam, quorum morsu animalia dicuntur intra duo minuta vitam linquere: alii contra tardius lethum advocant. Canis rabidus et alia animalia, ira vehementissima incensa, morsu suo homines vita privant, in eo tantum a serpentibus diversa, quod sana, materiam venenatam non praeparent, sed aegra tantum salivam nanciscantur, a naturali conditione tam alienam, ut venenum serpentum emulatur.

*) Vide *Fontana* von dem Viperngift.



letur. Ceterum ratione non multum dissimili, ac serpentes, nocent, fere autem tardius.

Etsi vero peculiaris horum venenorū natura nondum detecta est, tamen, quum eodem omnino producant effectus, et gradu vehementiae tantum a se distent, eodem sub nomine veniunt. Igitur, quum principium illud putre, si corpori ingeratur, quoad singula, quae diximus, cum illis quadret, haud sane video, quid obstet, quo minus id, ut verum venenum, cuius natura naturae veneni animalis quam maxime affinis sit, spectemus? Quamvis autem nullius momenti res sit in morbi cognitione, num principium illud, venenum aut alio quolibet nomine vocetur; certum tamen est, miasma materiam humoribus nostris perquam alienam esse, quae dum iis immiscetur, crasin intimam destruere proclivitatemque ad putredinem procreare potest, id quod experientia, magis tra omnium in re medica versantium, multoties docuit.

Oeconomia corporis interna in diversis hominibus, pro diversa solidorum et fluidorum conditione, varia est. Miasma igitur

tur in omnibus, quos laedit, nec eadem
vi, nec eodem modo aget. Corpus enim
robustum, valens, plus ipsi obstaculi oppo-
nit, quam corpus fragile, infirmum, vel
alio morbo afflictum, aut latice aquoso jam
abundans. Ut itaque effectus, quos mias-
ma propria ipsi natura producit, recte per-
spiciamus: necesse est, ut, qua id ratione cor-
pus, ceteroquin sanum, infestet, conside-
remus. Quod ergo corpus aggrediens,
quum singulari acritate pollere videatur,
statim cor arteriasque, ut alias quivis sti-
mulus, irritabit, et ad frequentiores con-
tractiones coget, quo sanguis solito velocius
vehementiusque circumagi febrisque
moveri debet. In febre autem, ut cuique
patet, sanguis justo magis expanditur et at-
tenuatur. Fomes itaque vel miasma, quam-
primum febrem accedit, sanguini exacti-
us immiscetur.

Etsi vero miasma veneni instar agit,
tamen in hoc primo morbi stadio subtilio-
res tantum, a febre magis evolutas san-
guinis particulas aggredi potest: crassiores
enim partes, sanguinis compagem efforman-
tes, quum eo tempore a vi cordis, vafo-
rum-



rumque contineantur, justam ei opponunt
resistentiam.

Subtilissimæ vero sanguinis particulae,
juxta maximorum virorum sententiam, eae
funt, quæ in cerebro a sanguine secernun-
tur, filamenta delicatissima nervorum in-
trant, vim eorum sustentant, verbo, quae a
Physiologis fluidum nerveum dicuntur. Qua-
propter quum evictum jam sit, quod in pri-
mo morbi stadio subtilissima sanguinis pars,
a miasmate inficiatur, hoc de fluido nerveo
intelligendum esse,clare patet.

Nervi, nemine refragante, duobus mo-
dis praeter naturam affici possunt, quatenus
actio eorum vel intenditur et solito vehe-
mentior fit, aut imminuitur et inde lan-
guet. Quod primum attinet, ab omni cau-
sa, qua motus-humorum universim accele-
ratur, omnesque secretiones intenduntur,
motum etiam nervorum, quum fluidum
eorum a sanguine, cerebrum valde urgen-
te, majori quantitate secernatur, magis eti-
am intendi videmus: quod in omnibus
febris, quae a mero stimulo, aut ab acri
quadam materia, humoribus nostris non
inimica, excitantur, semper experimur.

Ne-



Necesse enim est, ut hoc in statu, fluidum illud majori copia secretum (quum crasis ejus integra maneat nullumque vitium illius contrahatur) nervos magis sollicitet, actionemque eorum intendat. In febre autem, de qua agimus, materia morbifica, etsi acritate sua, ut stimulus agit, quo secretio illius fluidi in cerebro promovetur; tamen, quum naturam humoribus minime analogam, imo et inimicam habeat, tali id eodem tempore imbuit depravante qualitate, quae justae ejus crasi repugnat, ideoque fluidum illud, majori copia secretum, nervos potius debilitat actionemque eorum inordinatam et torpente reddit, quam justum eorum motum intendat, acceleretve.

Quod vero miasma, ut diximus, primo in fluidum nerveum agat, actionemque nervorum torpentem reddat, symptomatis hoc in morbi stadio se manifestibus, clarius, ni fallor, appareat. In omni fere febre putrida, statim ab initio, peculiaris quaedam capitis affectio accedit, quæ interdum in gravedine summa, aut dolore obtuso, pressione in fundo calvariae, subinde in fundo orbitae, vel in margine obtuso, quem palpebrae occupant, saepe etiam in temu-

len-

lentia subita, et in morbo lethali evasuro, in præsensione imminentis mortis, stupenda periculi indifferentiae ad juncta, consisit.

Accedunt etiam sæpe: vertigo, oculorum caligo, nausea summa, proclivitas ad animi defectionem, quæ omnia, praepri-
mis capitis illas affectiones, temulentiam ac gravedinem, plures ex Clinicorum ordi-
ne pro signis hujus morbi pathognomoni-
cis habent, eorumque caussam unanimes in
systematis nervosi perturbatione ponunt.
Quum autem in nulla alia febre, quam sy-
stematis nervosi intensior actio comitatur,
idem occurrat; hujus certe caussa in ipsam
systematis intensiorem actionem conjici ne-
quit, sed aliam eamque singularem quan-
dam affectionem in hoc morbo adesse judi-
cemos necesse est, e qua tamquam e scatu-
rigine, phaenomena illa profluant. Nonne
igitur hic Miasma, venenifica indole gau-
dens, præ reliquis, quas forte adducere
liceat caussis, attendi meretur? Enimvero,
fracta a vi miasmatis nervorum vi, sys-
tematis vasculosi integritas, ut elementa physio-
logica suadent, permanere nequit; nam mag-
nam partem a vi nervorum pendet. Patet
igitur, ut arbitror, luculenter, qua ratio-
ne



ne sistema vasculare, licet valentissimum, a miasmate infringatur. Porro soluta vi nervorum, non solum cordis vasorumque actio turbatur; verum et muscularum vis, quatenus a fluido nerveo influente corroboratur, languet, omniaque organa secretoria et excretoria officio suo haud recte funguntur, proque varia actionis, quam miasma exferit, velocitate, labes ipsa totius machinae citius tardiusve appetit. In proximiori igitur morbi aetate, in qua functiones quaecunque corporis aegri vim paene omnem amiserunt, vasa, quantumvis a principio acri irritantur, eas tamen contractiones exercere non possunt, quae requiruntur, ut materia noxia, quod plerisque in morbis accidit, aut assimiletur aut eliminetur; quo jam fit, ut miasmati ansa praebatur, crassiores sanguinis partes mutandi.

Ex iis, que de natura hujus morbi hucusque diximus, satis, ut opinor, appetit, quanta hanc febrem inter et alias, nominatim inflammatoriam, sit differentia; quin naturas febris putridae ac inflammatoriae sibi plane repugnare, facile perspicere licet. In febre enim inflammatoria sanguis non corruptus, per vasa valde renitentia;



tia; in illa autem sanguis tenuis, dissolutus per vasa relaxata vique resistendi orbata, circumfluit.

Noli putare autem, hanc, de qua dixi modo, diversitatem febris putridae ab aliis, jam in ipso morbi principio semper comparitaram. Est enim, ubi tunc temporis, ut alias multas febres, ita inflammatoriam quoque mentiatur. Ponamus enim corpus robustum, succis plenum, sanguineque densocrasso gaudens, illisque ideo conditionibus præditum, quibus ad inflammatoriam diathesin nascitur propensio, a miasmate infici. Profecto, quum miasma acredine sua venenifica cor arteriasque statim afficiat; febrem accendet, quæ omnino inflammatoria speciem referet, ita, ut quandoque, vel perspicacissimum medicum decipiat, qui, dum antiphlogisticum apparatus curatus paullo adhibet, in mortis periculum aegrum præcipitat.

Enimvero hoc extra constitutionem epidemicam, raro accidit; cautum igitur medicum vel perspecta constitutionis rationatum ab errore præstabilit, ut, a pharmacis quidem calefacentibus hoc in stadio absting
nen-

nendo, apparatus tamen antiphlogisticum non nisi provide in usum vocet. Quum miasma autem, sicut in superioribus dictum, ipsa febre mota, qua sanguis attenuatur, novam particulis illius se insinuandi occasionem nanciscatur, atque in febre putrida, quae inflammatoriam refert, febris vehemens et magna sit, qua sanguinis attenuatio adjuvatur: necessario inde sequitur, miasma satis quidem cito vim suam in illum, praesente hac febre exercere, id est, partes subtiliores, quæ, in cerebro secretae, fluidum nerveum constituant, afficere, corrumpere, vimque nervorum infringere posse. Fracta vero illa vi, ut jam monuimus, cor et vasa imo et universum corpus debilitantur; quo fieri, ut morbus, qui ab initio inflammatoriam æmulabatur, larvam nunc deponat, propriamque indolem ostendat. Accendentia tum prædicta febrium putridarum symptomata vel minimam de præsentia febris putridae dubitationem tollunt.

Cuique vero in re medica versato, idem de reliquis febribus intelligendum esse, facile patebit. Si enim hominem invadit, cuius intestina folidibus biliofis inquinata sunt, morbus omnino febrem biliosam refert



refert; qui vero error artis magistrum non tantum terret, quantum si inflammatoriae simulat naturam; isto quippe in morbo, quum methodus antiphlogistica indicata non sit, medicamina, quae morbus postulat, naturae putridæ non plane repugnant, quamvis casus incidere queant, in quibus ista vel tum non nisi circumspete admitti possunt.

Etsi vero ex omnibus, hucusque de natura inflammatoriae et putridæ febris dicitur patet, quantum conditio corporis in una ab ea, quæ in altera obtinet, distet: multo tamen iidemque magnæ auctoritatis Medici, inflammationes internas topicas, vel in illo morbi studio, in quo gravissima symptomata putridam morbi naturam declarant, locum habere statuunt. Nititur eorum opinio tam symptomatibus, in hoc morbi studio saepe accendentibus (quae inflammationis pedissequæ esse solent) quam extispiciis hoc morbo demortuorum, in quibus viscera rubore saxe inflammatorio correpta, aliquando et suppurata, vel gangraena destrueta deprehenduntur. Quæ phoenomena, quum tamquam inflammationis foboles spectentur, hanc ideo in agro locum habuisse fibi persuadent. Sed quum signum illud inflam-

ma.



mationum internarum pathognomonicum, dolor nempe fixus, pungens in quadam parte, ad attackum auctus, in homine laborante non manifestetur, occultarum nomen iis dederunt. Enimvero nec aetas, nec auctoritas horum Virorum adeo nos terret, ut dubia nostra contra eorum sententiam proferre dubitemus; licet enim, falsis forsan opinioribus imbuti, a recta deflexerimus via; tamen ignorantiae potius, quam audaciae accusandi erimus. Primum ideo generalia quædam dubia proponemus, posteaque illa, quibus eam, in qua versantur, opinionem suffulciunt, investigare conabimur.

Ex theoria itaque inflammationis, supra stabilita, patet, quod ad illam generandam requiratur, ut stimulus in hac illave parte nervos incitet; is enim vasa minima ad vehementiores crebrioresque contractiones sollicitat, quo fit, ut sanguine in eam copiosius influente, omnia inflammationis symptomata producantur. Ut ergo inflammatio topica in hoc morbo generetur, stimulus opus erit, quem vel in miasmate ipso, vel in acrimonia dissolutorum et alcalescentium humorum ponant necesse est. Sed neutrum

ap-

apte admitti potest. Nam miasma ipsum, vel ideo stimuli munere fungi posse, haud videtur, quod id vim maximam irritantem oportet in principio morbi, (ut quo tempore vis nervorum adhuc valet tenorque vasorum adhuc sine labore est) exercere, nulla que ideo commoda caussa assignari potest: cur inflammatio non isti quidem sed alteri demum stadio accedat? Nec acrimoniae humorum eum stimulum adscribere licet.

Quamquam enim haec fluidorum conditio in producenda inflammatione permultum valet, et, si hanc explicandi rationem sequi velis, probabilis caussa deficientis in priore morbi stadio inflammationis afferri potest: attainen, quam ad recipiendam stimulorum efficaciam vis ipsa nervorum ac vasorum requiratur, quae in ea, de qua jam loquimur, morbi aetate invalida facta est, sequitur, fieri vix posse; ut alcalescentium humorum irritamenta inflammationem in febribus putridis efficiant. Praeter miasma autem et alcalescentiam humorum nihil reliquum est, cui, cum aliqua veri specie, inflammatio febrium putridarum comes, tribui possit.

Quod-



Quodsi quis objecerit, in illo morbi studio, quo inflammationes adesse statuuntur, vires illas, et si laefas, tantum tamen adhuc valere, ut a stimulo dissoluti acrisque sanguinis incitari, et inflammationes creare possint: is secum perpendat velim, quod ex immutabili naturae lege effectus semper cum vi agente eandem servet proportionem. Quare et hic effectus inflammationis gradui suae vehementiae respondeat necessitate est. Quum igitur ex dejectione earum virium, a quibus inflammatio pendet, atque ex absentia doloris, qui symptoma primarium est, e quo vehementia inflammationis determinatur, colligere licet, inflammationem, licet re ipsa adsit, levem tamen esse; liquido etiam appareat, quod effectus ipsis, non nisi leves, esse queant. Magnas ideo destructiones, in cadaveribus inventas si spectes, facile tibi persuasum habebis, eas a levi illa inflammatione sic dicta occulta, gigni neutiquam potuisse.

Accedit, quod, quamquam cuique in Clinicorum scholis versato, fatendum est, in febre putrida phaenomena subinde apparere, quae alias inflammationem comi-

C
tan-

tantur, nemo tamen nisi temere contendat, haec vera ab inflammatione pendere. Permulti enim effectus in machina nostra non abs una modo, sed a pluribus caussis produci possunt. Quis enim est, quem fugiat, Plethoram v. c. et haemorrhagiam saepe a caussis sibi oppositis nasci! Praeterea, licet phaenomena quaedam, si coniunctim in parte quadam corporis occurrant, inflammationis praesentiam manifestent, attamen unumquodque horum phaenomenorum, si singulatim prodit, nihil saepe minus, quam inflammationem indicat. Sic enim dolorem a quavis pressione, tensione, vel a stimulo, nervos afficiente, quin ulla adsit suspicio inflammationis, ori scimus. Pars quaevis rubore perfunditur, si manu vel molli panniculo leniter perfricatur; tumorem etiam saepe a congestione laticis aquosi, vel ab aëris quendam in locum ingressu nasci videmus, etc.

Quis autem partem inflammatam esse dixerit, si vel rubet tantum, vel si in tumorem elevata conspicitur, aut dolore modo excruciaata sentitur? Nescio igitur, quare ratione factum sit, ut clarissimi illi viri ad inflammaciones occultas refugerent, quum illud

illud primarium, et vere unicum interparum inflammationum signum, dolor fixus, pungentem puta, desit, et reliqua corporis conditio inflammationi non faveat.

Hactenus, quod generatim eorum sententiae obstat, investigavimus; nunc speciatim, in hoc morbi stadio obvenientia symptomata, quae inflammationem indicare dicuntur, illustremus.

Ex recentioribus vir quidam summe suspiciendus*), in libro de febribus, quum putridam describit, sic loquitur: Obscurus magis, sed periculosior status ille inflammatorius evadit, si sero tandem accedit: pulsus parvi, duriusculi, fili metalliei instar tangentis digitum ferientes; rubor genarum et lingua praearida praeprimis illum (statum nempe inflammatorium) declarant.

Primum igitur, quod pulsus attinet, fatis notum est, eum in nulla alia febre, nervosa excepta, adeo varium, fallacem et instabilem, quam in putrida, reperiri.

C 2

Quip-

*) *Vogel*, Handbuch der praktischen Arzneiwissenschaft.



Quippe, quum vis materiae morbificae in hoc morbo primum in nervos agat, et pulsus conditio, ut scimus, maximam partem ab actione nervorum pendeat, necesse est, ut, pro variabili eorum alienatione, motus etiam cordis et arteriarum, id eoque et pulsuum conditio, varie afficiantur mutanturque. Quod vero a motibus nervorum inordinatis pulsus duri evadere possint, nemo, qui pulsum in mulieribus hysterericis, instantे paroxysmo, investigaverit, ignorabit; in his enim saepissime pulsus etiam parvi, duriusculi, filunt metalli: cum mentientes, deprehenduntur, quumque in illis ne minima quidem inflammationis suspicio adsit: mutationem illam a lusu nervorum solo nasci posse, nemo in dubium vocabit. Quare, si, progrediente febre putrida, pulsus parvi, duriusculi evadunt, hoc non inflammationi latenti, sed affectioni nervorum dandum esse puto.

Secundo, si conditio illa pulsus, quam auctor describit, hac in febre effectus inflammationis esset, sequeretur inde, illam vehementem esse; levior enim ejus gradus, ut alias constat, pulsui sic immutando par non est; si autem tanta vehementia urgeret in-

inflammatio, ut pulsus inde praedictam subiisset mutationem, necesse esset, ut sensibilitas et irritabilitas, ideoque aegri sensus tam interni quam externi, adhuc valearent. Quo vero concessio, non video, cur desit tum suetum cujuscunque inflammationis validioris symptoma, dolor fixus nempe. Porro genae quidem rubentes, calentes, et lingua sicca, arida, ferme semper inflammations comitantur, omninoque ideo, ut ejus effectus, considerari debent. Semperne autem ex rubore generum et siccitate linguae inflammationis praesentia rite colligitur? Nonne ab aliis caussis effectus iidem produci possunt? Nonne circulatio in systemate venae portarum, vel in systemate pulmonali impedita, ruborem faciei excitat? Nonne in hypochondriacis, si intestina vel ventriculus flatibus adeo distenduntur, ut diaphragma descendere recte nequeat, facies valde rubet? Quid mirum igitur, si quum in putrida febre universa machina labefactata sit, ventriculus quoque et intestina tenorem amittant, hincque humores, in systemate venæ portarum morentur, fatus, abdomen tumefacientes, generentur, humorum circuitus impediatur, sanguinisque impetus caput
ver-

versus dirigatur, a quo anxietas, faciei rubor, aliaque symptomata originem trahunt. Nonne, quod ad linguam attinet, vasa ejus exhalantia vel ab humoribus viscidis obstrui, vel relaxata, ita collabi possunt, ut nihil vaporis exhaletur, quo linguae siccitas necessario insequi debet? Licet igitur idem phænomenon in inflammatione occurrat, attamen, quum alia graviora illius symptomata desint, ex eo status inflammationis probari omnino non potest.

Opponunt autem his objectionibus observationes multifarias, in cadaveribus, hac febre demortuorum factas, e quibus, ut opinantur, inflammationem in corpore latuisse pateat. Extispicia enim vel intestina praeerubra, eorumque vasa sanguine turgida, vel cerebrum, pulmones et ipsa intestina suppurata, ventriculum porro aliasve partes saepe gangraena correptas ostenderunt; quae cum inflammationem comitari et consequi neminem fugiat, hanc in homine, ex febre putrida mortuo se recte sibi colligere videntur. Licet vero haec ut observationibus comperta, negare nemo possit, verumque etiam illud sit, quod phænomena ista saepius sint effectus inflam-

ma-

mationis; hoc tamen in casu reliqua inflammationis signa absunt et corporis conditio tantum inflammationis gradum non admittit. Itaque de veritate hujus argumenti dubitare licet, in primis quum aliis ex Clinicis, factis et observationibus constet, suppurationem, gangrenam et sphacelum, absque prægressa inflammatione, oriri posse. — Non defuere nostra ætate magni nominis Viri, qui veterum de suppuratione, quod nempe semper a prægressa inflammatione generetur, opinionem variis rationibus oppugnarent atque, experientia edociti, censerent, pus in universa humorum massa parari atque inde ad loca quædam deponi.

Hos inter Clariss. *de Haen* *), se in plura cadavera hominum incidisse narrat, quæ id probent. Novisse se, inquit, qui per plures annos pus, tam ore quam aliis ex abcessibus ejecissent, licet in cadaveribus eorum ne vestigium quidem inflammationis detexerit. En ipius hac de re argumentum!

„Ho.

*) Ration. med. p. II. Cap. II. ubi de generatione puris tractat.

„Horum omnium occasione, inquit,
„(p. 12. hujus cap.) en, quae de puogenia
„cogitem! motione fieri non solum
„inflammatio, sed etiam suppurationis
„processus.

„Communis sententia fert, pus præ-
„gressa semper inflammatione gererari. In-
„flammationem namque in abcessum verti-
„dum, inflammatus sanguis in finibus vaso-
„rum stagnans, et tamen a tergo pulsus,
„suum extrema solvit inque al-
„bam cum iisdem vertitur pultem.

„Hanc ob rem et in diuturna puris
„excretione oportere ingentem reperi sub-
„stantiae consumtionem: id quod multa eti-
„am exempla confirmant.

„Attamen neque in casu enarrato, ne-
„que in tot aliis superiore anno communi-
„catis, haec ita inveniuntur. In multis
„nulla prægressa inflammatio est; in non
„paucis nulla substantiae inventa est con-
„sumtio. Unde cum vulgaris sententia par-
„tem suppurationis duntaxat non integrum
„complectitur; alia puris est nobis quæ-
„renda origo, quae forte rem totam com-
„pleteatur.

„Si

41

„Si igitur in phthisi. v. g. pulmonali
„pus copiosum diuturno tempore, ore exer-
„natur, nec apta post mortem, qua geni-
„tum locatumque fuerit, sedes inveniatur,
„necessæ est, illud ab ipso sanguine, imme-
„diate secretum fuisse, cum aliud nihil,
„quod cum pulmone communicet, assigna-
„ri possit. Attamen nil puri simile saepe
„deprehendimus in horum hominum demor-
„tuorum sanguine, vasis contento.

„Rubicundus enim plus minus reperi-
„tur ille, ac non nihil coagulatus; an in
„eo saltim non oporteret quidquam materiæ
„albae, flavaeque ac crassioris reperiri?

„Resp: Imo sanguis eorumdem homi-
„num, dum aliquando de vena mitteretur, li-
„quor ruber homogeneus, adparebat; qui
„tamen stagnando extra vasa corporis cru-
„stam phlogistica eamque densam forma-
„ret. Ergo materies, crustam formatura,
„in sanguine antea adfuerat, sed minime con-
„spicienda.

„Resp: II do. In sanguine sanissimi ho-
„minis, in quo, ex naturali diathesi, nulla
„phlogistica dispositio, minime deteguntur
„prin-



„principia crassioris ac flocculentae mem-
branae, Ruischianae dictae, quam inde ta-
men agitatio postmodum et conquassatio
„educit.

„Resp: III tio. Saepenumero etiam in
„cadaveribus invenienda est materies ea-
„dem, quae pus formare videtur, albida,
„subflava, compacta, polyposa, quam ean-
„dem alii circa mortem generent, alii ad
„vitalia vasa per annos gerant.

„Resp: IV tio. Non detegitur mortuo-
rum in cruore materies, quæ tamen paul-
lo ante in eodem præsens esse debuerit,
„quaque sub mortem extremis vasculorum
„osculis transundans, circum viscera om-
„nia, vitalia, naturalia, animalia, crustas
„densas, lardoque similes, formet. Cujus
„modi Heurnius toties invenisse se scribit,
„nosque in nosocomio pluries jam demon-
„stratas vidimus, ad totos quantos pulmo-
„nes, pleuram, diaphragma; pericardium,
„ad hepar et intestina; imo in dimidiis cra-
„nii lethali fissura ad medullam oblongatam,
„ad cerebrum externum; cerebellumque,
„et in cerebri ventriculis anterioribus. Un-
„de in omnibus hisce casibus suspicari lice-
„bit,

„bit, hanc materiem vel sanguine valide
 „conusso manifestam fieri; vel quieti aëri-
 „que cōmissio. Unde licet in sanguine om-
 „nia appareant homogenea, constat tamen,
 „quidquam eidem inesse, quod collectum ap-
 „pareat esse tenax, albidumve, aut subfla-
 „vum, quodque puris adpellari materia de-
 „beat. Quae porro materies, ut cito sae-
 „pe a sanguine separatur, ita non perraro
 „multis in plthifiscis, mensium annorum
 „que spatio, pedetentim secernitur.“ Per-
 git nunc Cl. ille Vir investigare caussas,
 quibus materia illa in massa sanguinis ge-
 neretur, quas inter etiam acrimonias et
 contagia varia numerat, quae, quum hu-
 mores rarefaciant, ansam præbent, ut ma-
 teria illa in sanguine enascatur. Sed et alii
 celebres viri cadaverum sectionibus fenten-
 tiā illam corroborare conati sunt, e quibus
 paucos nominare liceat. Celeb. *van Swieten*
 diversos vidit ægros, quorum pulmones,
 post mortem, incolumes reperiebantur, li-
 cet multis jam ab annis, magnam puris co-
 piā, quin in aliis partibus adfuisse in-
 flammatio, quotidie extussitassen. Clar.
William Hereson *), de vasis lymphaticis
 dispu-

*) Experimental inquiries into the proprieties of
 the blood, London, 1771.



disputans afferit, quod exempla puris, in cavis corporis collecti, licet nullus simul adsit abscessus, non rara sint. Ipse enim in pericardio aegri cuiusdam plus ultra sextarium puris; alioque in casu pleuram dextram, a pure valde distentam repletamque inventum, quin pleura, cor, pulmones ulla abscessu laborarent. Quare in his casibus pus ex humoribus, non ex destructione partium solidarum enasci arbitratur. Eadem opinione est Cl. Thomasius Reid *). Afferit etiam Egregius de Haen *), materialm illam, sanguini, ex mulierum gravida- rum venis detracto, supernatantem, aliquando puris in pulmonibus aggestionem efficere, pulmonibus interim omni modo illæsis integrisque manentibus. Neque minus Wipacher, junior, abscessum sub axilla ægri intra tres horas confectum vidi, qui magna puris copia tumebat, quin dolor, tensio, aut inflammatio accederet. Præpri- mis vero hoc pertinet Unzeri dictum: „Est, „ut moneam, quod, juxta novissimas ob- servationes multorum medicorum, pus im-

„me-

*) An essay on the nature and cure of phthisis pulmonalis, by Reid, Lond. 1782.

*) l. e.

„mediate etiam, imo aliquando, quin ulla
„vel suppuratio aut antecesserit aut coexi-
„stat, vel prægressa fuerit aut præsens sit
„febris inflammatoria, generari possit.“
Plura demum similia exempla leguntur in
Boneti, Hildani, Morgagnii, Lieutaudi scrip-
tis, quibus res extra omne dubium ponitur.
Vid. quoque *Illustr. et vener. P. A. Boekmeri* Diss. de genesi mater. purul. sine
prævia inflammatione et b. m. *P. G. Schroederi* Diss. de puris absque prægr. in-
flammat. orig. in ejus opusc. med. vol. II.
p. 460.

Patet vero ex omnibus his, in primis
que ex observatis Celeberrimi *de Haen*,
primo, quod partium exulceratio absque
ulla coexistente aut præeunte inflammatione
sæpe contingat; secundo, quod acrimoniæ,
aut contagia varia, subinde sic in san-
guinem agant, ut inde pus generetur.

Quum igitur in febre putrida, ut sci-
mus, miasma massam sanguinis non tantum
rarefaciat, sed et acrimoniam alcalinam ei
conciliat, facile intelligitur, quo modo ma-
teria illa albida, pus dicta, horum ope in
sanguine nascatur, atque ad diversas cor-
pe-

poris partes deponatur. Quodsi idecirco in cadaveribus hac febre demortuorum cerebrum, pulmones, ventriculum, vel intestina suppurrata inveneris, non est, cur inflammationem praecessisse dicas, quum alia, naturæ morbi magis respondens, ut paulo inferius patebit, hujus phænomeni tibi se offerat caussa. Quod porro gangræna extremusque ejus gradus, sphacelus, saepe prægressæ inflammationi originem suam debeant, infitias ire nemo potest. Quum vero inflammatio una tantum, licet princeps e turba cauſarum eorum sit cauſa, (siquidem, conſitentibus id clarissimis auctoribus omnes eorum cauſæ nondum deteſtae sunt) sequitur, cavendum nobis esse, ne, si forte in diffecto cadavere gangrænae sphacelive notas confſicimus, statim de prægressa inflammatione, ut vera iſtarum affectionum in caſu obvio cauſa, cogitemus, hincque præcipitis judicii rei ab iis postulemur, qui præter inflammationem, alias etiam cauſas subefſe potuisse, perſpectum habent. Ante ergo, quam judicium illud feramus, ad alia multa a attendere nos oportet.

Cl.

Cl. Richter *) gangrænæ cauffas ita enumerat, ut quatuor earum classes, constituant. En verba ipsius! „Man kennt bey weitem noch nicht alle Ursachen des Brandes genau, und eben deswegen ist die Heilung desselben oft sehr schwer, ja unmöglich. Die bekannten Ursachen desselben lassen sich indess füglich in 4 Hauptklassen bringen. Es ist nämlich der Brand entweder die Folge von einer Entzündung, oder des gehinderten Rückflusses der Säfte aus einem Theile, oder des gehinderten, ja gänzlich gehemmten Einflusses der Säfte in demselben, oder der gestörten Bewegung der Säfte und Lebensgeister durch denselben.“

Jam vero in febre putrida, ut in superioribus dictum est, fluidum nerveum a miasmate corruptum, et systema nervosum cum vasculari viribus fractum est, universumque corpus languens torpensque. Nonne ergo in corpore sic constituto, ubi musculi, venarum actionem fufculientes, languent, ipsæque venæ justum tenorem amise-

*) Anfangsgründe der Wundartzneykunst, Iter Theil, §. 127.

miserere, facile refluxus humorum e quādam parte impediri potest? Nonne, eadem ex caussa, stagnatio in parte orietur, qua humorum in eam ingressus vetatur? Nonne motus humorum spirituumque vitalium, ut ait auctor, in ea turbabitur? Quum porro ex theoria inflammationis supra prolata, satis pateat, quam parum corpus sic affectum inflammationis origini faveat, nonne dubitare licet, gangrenosas et sphacelosas partium corruptiones, quas extispicia in demortuis ex febre putrida detexerunt, a prima, ab egregio *Richtero* enumeratarum, caussarum derivandas esse? Sed ipsa illustris viri verba dubitationi meæ favent. Nam §. 129. „Zuweilen, inquit, und wahrscheinlich dann, wenn die Materie sehr bösartig ist, entsteht der Brand plötzlich, ohne alle vorhergegangene örtliche Zufälle.“ At vero in febre putrida humores omnes magnam adepti sunt corruptelam imo malignitatem: nonne itaque in ea gangrena subito, nulla præcedente topica affectione, e sola perversa liquidorum mixtione ori potest? Pergit l. c. No. 7. „Endlich ist der Brand, der sich zu Entzündungen gesellt, oft allein einer fäulichten Ansteckung durch unreine Luft, unsauberes Bettzeug, oder durch

durch eine Fäulniß in der Nähe zuzuschreiben. Der Brand ist ansteckend, und oft in einem hohen Grade. *Der durch Ansteckung erregte Brand, entsteht oft, ohne alle vorhergegangene Entzündung.*" Quodsi ergo pars quædam, licet sanissima, a particulis putridis, ex alia gangrænosa parte attrahitis, sic infici potest, ut, absque ulla prægressa inflammatione, gangræna corripatur, quanto magis id in illo accidet uorbo, in quo universa humorum massa ad putredinem prona est; partesque solidæ, ob tensionem amissum, humorum depravatorum stagnationi favent? Porro §. 140." Das Fortschreiten des Brandes, inquit, ist entweder dem Fortschreiten der ersten Ursache desselben, oder dem durch die Einbauchung der faulen Gauche erregten Fäulstüber zuzuschreiben. „Verum si accessus febris putridæ, gangrænam propagare valet: quid obstat, quo minus gangræna a febre putrida protopatia, quin ulla præcesserit inflammatio, accendatur? Tandem § 139, ubi de sphacelo disputat, sequentia habet: „Zuweilen tödtet der Brand plötzlich, und ehe er noch einen wichtigen Theil erreicht, ja oft wenn er noch von einem sehr geringen Anfange ist. Es scheint, dass der Tod

D in



in dem Falle einer besondern giftigen Eigen-
schaft der Fäulniß und tödtlichen Wirkung
derselben auf das Nervensystem zuzuschreiben
ist.“ Igitur putredo ex Cel. Auctoris men-
te, veneni indolem induit et brevissime omnes
nervos paralyticos reddere, imo toti ma-
chianae mortem afferre potest. Nonne er-
go, in leviori ejus gradu, idem saltuum in una
alterave parte accidere poterit, præprimis
in eo, de quo loquimur, morbo, ut in
quo nervorum vis statim ab initio læsa
est? —

En igitur fontem, e quo dubia mea
contra observationes, in cadaveribus febre
putrida demortuorum factas, scaturiunt;
eaque eo mihi majoris momenti esse viden-
tut, quo equidem certius crediderim, de-
tecta in extispiciis aptius multo e natura fe-
bris putridae, quam ex prægressa qualicun-
que inflammatione, explicari.

Quod autem gangræna et sphacelus
a caussis, ab inflammatione diversissimis,
oriri queant, magnorum medicorum ob-
servationes testantur, quarum nonnullas hic
inserere juvabit. *Hildanus* *) haud vulga-
rem

*) De gangræna sphacelo. c. 4. p. 775.

rem narrat easum hominis, florente ætate optimaque valetudine gaudentis. Is infolita gravitate, frigore et stupore in binis tibiis corripiebatur, quin ulla præcesserit affectio, quæ justam caussam phænomenorum præberet. Interea symptomata increse-re indies pergebant, tibiæ gangræna tentabantur, quam sphacelus, ad genua usque ascendens, et tandem mors exceptit. Incifo Cadavere, vena cava eo loco, quo in venas iliacas secedit, a tumore scirrhoso com-pressa inventa est.

Lieutaud *) narrat, quod Ebrius quidam, qui stans indormierat, pedibus inflexis et recurvatis humo impositis per aliquot horas somnum ceperit, et, quamprimum evigilasset, utrumque pedem gangrænosum senserit.

Van Swieten **) similem enarrat easum. „Nobilis juvenis, Academiae Ultrajectinæ civis, hilari exceptus convivio domum redierat bene potus. Auræ captandæ gratia apertæ fenestræ pronus incubuit, cubitis

D 2 in-

*) *Journal de Medicine, Chirurgie, Pharmacie etc.*

**) *Commentar. Tom. I. p. 739.*



innixus, sicque tota nocte mansit vino somnoque sepultus. Sequenti mane exper-
gefactus, dum corpus movere volebat, concidit credens, se pedibus carere. Tristi-
enim infortunio subligacula arête adstricta
sic compresserant venas, ut nihil per illas
redire potuerit, dum interim per arterias,
aucto per ebrietatem impetu, sanguis pel-
leretur; unde tumor partium, et ab hoc
timore major adhuc adstrictio subligaculo-
rum facta fuerat. Suffocato hinc omni vi-
tali humorum motu, gangræna utrumque
crus occupaverat, quæ cito adscendens ad
femur utrumque lethalis fuit.“ *Tulpius* *)
de sene quodam fatuo et diutissime debili
narrat, quod, poucos intra dies, fere in
qualibet ejus corporis parte gangræna sensim
orta sit, antequam mors eum e medio
tolleret. „Non licebat illi vel natibus in-
sidere, vel cubito incumbere, nedum cal-
cem pavimento imponere, vel scapulam in
parietem inclinare, quin protinus extingue-
retur calor, et a gangræna ob sideretur non
minus pars premens, quam pressa.“ *Van
Swieten* **) similem adducit casum feminæ,

90 an-

*) Observat. med. Lib. III. cap. XLVI.

**) Comment. Tom. I. p. 750.

90 annos natæ, in qua ante mortem non tantum partes extremas gangrænosas fieri, verum et genam, cui dormiens incubuerat, simili labe corripi, observavit.

Harderus infantem habet viginti dies natum, qui diris ab ortu vexabatur torminibus. Impediebatur ejus deglutitio et sanguitientis instar clamitabat. Postea ingruunt convulsiones, inter quas fatis cessit.

Aperto corpusculo, reperiuntur intestina tenuia flatibus distenta, hic illic gangrænosa.

In *Maneto* non absimilis invenitur casus: Puerum, 14 annos natum, dira vexabant tormina. Surfum et deorsum aspergimta æque ac foeces excernebantur.

Postea accedunt convulsiones cum dentium stridore, denique mors. Instituta cadaveris sectione, conspiciebatur intestinum ilium, haud procul a coeco, nigrum et sphacelatum.

Sed sufficient hæc exempla gangrænae citra præviam inflammationem, enatæ. In
iun.

immensum pæne adaugeri possent; verum ab uberiori eorum recensione consulto abstineo; res ipsa enim satis clara est dudumque ab aliis in apricum posita.

Resumamus igitur filum abruptum et investigemus deinceps modum, quo miasma corpus afficiat. Jam supra adnotavi, quod, in primo morbi stadio, miasmatis vi nervorum actio laedatur ac debilitetur eoque fiat, ut vires vasculosi systematis solvantur, universumque corpus imbecille reddatur, sive simul miasmati ad reliquas sanguinis partes via paretur. Partes vero, sanguinem constituentes, quum iterum indole, densitate et cohærentia inter se discrepant, necesse est, ut miasma eas primum afficiat, quæ viribus ejus minus, quam quidem reliquæ, resistunt, ideoque crassissima sanguinis pars tardissime reliquarum subibit sortem. Hinc duo alia hujus morbi oriuntur stadia, de quibus mihi nunc differendum erit.

Sanguinem vulgo in serum, cruorem et lympham dividere solent. Ex his lympha coagulabilis vocata, majorem cohærentiæ gradum naœta est; non solam enim, sero ac cruci immixta, iis densitatem majorem.

remque cohaesionem impertit, sed ipsa etiam
in firmas corporis humani partes, mirifica
naturae vi plastica abit.

Miasma igitur febrium putridarum,
dissolvens ac putrefaciens, omnium primo vi-
detur in serum ac cruem, quippe sanguinis
partes dissolutioni propiores indeque mias-
matis actioni minus resistentes, vim suam
exercere.

Cruorem igitur miasma in altero mor-
bi stadio attenuat et dissolvit; quo attenua-
to, fero, quo circumfusus est, cruar fa-
cile immiscetur, cumque eo in vasa mini-
ma, quæ alias rubros globulos non admit-
tere censem, penetrat; quo fit, ut vasa;
laticem serosum vehentia, quum serum ru-
bore nunc imbutum sit, rubra etiam appa-
reant. Quod vero id accidat, si phæno-
mena, hoc in stadio occurrentia, spectes,
facile persuasum habebis. In omni fere fe-
bre putrida, si eum attigerit gradum, de
quo sermo nunc est, vascula, in oculo ser-
pentia, tumere, sanguine extendi, rubere,
et excepto dolore, quasi inflammatione
tentari videbis. Quum autem nemo ocu-
los sic affectos inflammatos dicat, caussam
hujus



hujus phænomeni vix in aliam, quam designatam, recte conjicies.

Verum enim vero si crux attenuatus sero immixtus vasa minima, alias humorem decolorem ferentia, penetrare oculosque ita afficere queat, ut inflammationis speciem præse ferant: nonne idem in quavis parte interna evenire poterit? Quid mirum igitur, quod in cadaveribus, hoc in stadio de mortuorum tunicæ ventriculi, intestina, cerebri involucra; imo et oesophagus, ac trachea etc. rubra sanguineque tumefacta reperita sint?

Si inflammatio esset horum phænomenorum causa, quot quæsto symptomata, vita adhuc superstite, occurrisserent? Dolor scilicet dilacerans, fixus, hyperæsthesia, per vigiliū, urina aut flamma, aut tenuissima, albida, et sic porro: quod vero tantum abest, ut accidat, ut potius contrarium hoc in stadio compareat; æger nempe anaesthesia, stupore, vel sopore corripitur, omnes ejus vires fractæ jacent, et de nulla re miser queritur. Ad hæc, licet saepe genæ rubeant, id tamen ex eodem forsan fonte, quo oculorum rubor, profluit. Licet

Licet vero plura de hoc stadio dicenda supersint; brevitatis tamen gratia iis non immoraturus, ad ultimum morbi stadium progredior, in quo graviora demum nascuntur symptomata. In quovis morbo acuto, in quo systemata omnia justo robore gaudent, et fomes morbificus eo agit, ut æquilibrium turbando, secretiones naturales atque inde excretiones, vel supprimat, aut in una alterave parte nimis acceleret, augematque, multa nascuntur noxia symptomata, machine destructionem minantia; enimvero natura vel intima virium harmonia, qua omnes functiones sibi correspondent, id efficit, ut, ad reactionem invitatae, suo statim conamine æquilibrium restituere adlaborent. Tunc vero systemata omnia ad validiores et quasi tumultuarios incitantur motus, quos coctionis humorum nomine veteres denotarunt, quibus talis humoribus conciliatur conditio, ut fomes ille, iis immixtus, aut innocuus evadat, aut diversis modis et locis e corpore eliminetur; quod Crisin vocant. Quodsi autem fomes ejus est indolis, ut non solum systematum functiones laedat, sed et ipsas vires aggrediat, easque solvat; tunc, et si æquilibrium restituere vires conentur, tamen coctionem

E

per,

perfectam vix perficiunt, crisiisque bonam
haud facile producent, quippe, nisi subsidio ex-
trinseco suffulciantur, tantum malignæ ma-
teriae vim superare non valent. Quum igit-
ur in putrida febre vires, ut ut imbecillius
agere pergent, tamen ob imbecillitatem
iis inductam, materiem inimicam e corpore
expellere nequeant; clare elucet, quare,
progrediente morbo, tam sæpe fiat, ut hu-
morum destruccióne magis magisque promo-
veatur, et mors inevitabilis tandem tragoe-
diam finiat. — Scimus autem ex supra
dictis, suppurationem nihil aliud, quam
lymphæ coagulabilis immutationem esse,
quæ plurimis a caussis, quas inter Cl. de
Haen etiam acrimonias varias et contagia
numerat, procreatur. Eodem modo igit-
ur, quo in aliis morbis, et in hoc a vi
miasmatis, in summo morbi gradu, lym-
pha adeo immutari potest, ut puris speciem
referat, eo tamen discrimine, quod aliis in
morbis a vi vasorum valente pus generer-
tur, blandaque gaudeat indole; hic autem
vi vasorum languente, a materia noxia,
depravante, miasmate puta, perficiatur. In-
de vero puri generato acrimoniae natura
conciliatur, quo fit, ut suppuratio nata,
nec salutaris, nec critica esse possit.

Quum



Quam vero etiam illis in morbis, in quibus suppuratio a vi vasorum peragit, aliquando occurrat, ut materia gererata ad partes quasdam, et subinde internas nobiliores deponatur, quod metastasis dicunt, qua morbus, ut repetitae observationes ipsaque ratio suadent, saepe lethalis evadit; quanto magis metastasis haec insalubris in hoc accidet morbo, in quo materia alienata e corpore excerni nequit, et partes, per duos stadios praegressa, jam ad corruptionem proplices factae sunt?

Anne ideo fieri potest, si materia haec puriformis, corrupta, in ultimis vita momentis, metastatice e massa humorum ad unam alteramve partem internam nobilem deponatur; ut, eam destruendo, mortis, phænomenorumque, sectione detestorum, fiat causa?

Porro, quando in vigore morbi omnes sanguinis partes destructæ corruptæque, et intima earum crasis dissoluta est, nonne particulae putridæ inde evolventur? Quo facto, nonne inde universa humorum massa acrimoniam putridam acquiret? — Acrimonia vero humorum putrida, quod nem

nem fugit, præprimis gangrænæ oriundæ ansam præbet, et accidente quacunque de caussa circulationis in parte interceptione, eratio vasorum, humorum in cellulosam telam effusio, verbo, gangræna inevitabilis est. Quanta autem momenta hie occurunt, quæ circulationem impedian!

Nonne v. g. a diuturniori decubitu ægrorum in dorsum vel coxas, quo circulatio iis in partibus interrupitur, gangrænam oriri vides? Porro ex eo, quod supra de inflammatione diximus, liquet, quod motus humorum in peripheria corporis, quum vis cordis, ut experimentis *Whyttianis* demonstratum est, eo non pertingat, a sola vi musculari minimorum vasorum peragatur. — Quum ergo in hoc morbo vis omnis muscularis langueat, sanguis in superficie rite promoveri nequit; quo duo nasci mala necesse est: sanguis, acrimonia putrida infectus, quum facile in minimis illis vasibus stagnet, variis modis effundi potest, quo oriuntur maculæ rubræ, nigrae, lividae etc. quas petechias vocant. Alterum gravius adhuc, scilicet massa sanguinis ad ea loca, ad quæ in statu naturali per vim cordis propellitur, nempe ad intestina, cerebrum

brum et pulmones, eo in stadio, quo circu-
lato in peripheria languet, a vi cordis,
quamdiu valet, majori copia impellitur;
quo alia provocantur gravia symptomata,
revera inflammationem nuntiantia, licet
quam longissime illa absit, quæque pro di-
versitate loci, quem occupant, et ipsa diver-
sa apparent. — Sanguis nimirum dissolu-
tus, acris, si ad pulmones urgeatur, quum
a venis ob earum imbecillitatem, justo tem-
pore revéhi nequeat, vasa replet, inque iis
quietem quasi capit, quo fit, ut vasa aërife-
ra comprimantur et respiratio anhelosa, fer-
vida, strepens evadat: acritate vero suā,
latera, quibus apprimuntur erodens, gangræ-
nam cito accendat necesse est. Idem etiam,
si ad caput sanguis dirigatur, evenire de-
bet, ut tamen alia simul oriantur sympto-
mata, nempe delirium, vel sopor, lethar-
gus, carus, et convulsiones.


Et dum intestina invadit sanguis, vasa
eorum replet, distendit, inque ramulis frag-
nat, secretionesque inhibet; tuncque ven-
trem tumere ac expandi, et eodem modo,
quo in recensis casibus, gangrænam visce-
rum abdominalium cito oriri, videbis. —
Neque vero necesse est, ut hæc quæ dixi-
mus,

mus, omnia vivo adhuc ægrò eveniant. Nonne enim dissoluti humores, mox post mortem, quo tempore ex arteriis in venas effunduntur, inque minimis vaseulis plenariam quietem capiunt, ob acrimoniam putridam iis infixam, maculas illas rubras, fuseas, quas in pulmonibus, vel intestinis aut in vetriculo cadauerum dissectio monstravit, efficere possunt?

Quid mirum igitur, si in cadaveribus eorum, quos putrida jugulavit febris, partes vel sanguine turgentes, vel suppuratae, vel gangræna aut sphacelo correptæ deprehenduntur? Nonne in morbo, in quo lympha tantopere depravatur, humores tantam acrimoniam adepti ac vasa velut resoluta, omnique pæne tono orbata sunt, circuitum sanguinis oportet ob levissimam caussam interrupi? Sane miraculum esset, si hoc non contingeret? Non est ergo, quod ad inflammations occultas configias, si phænomenorum in superioribus commemoratorum caussas rimari velis. Qui naturam febris putridæ bene intellectam habet, multifariias eorum caussas facile perspiciet, etiamsi inflammationis nullam habeat rationem. Ceterum tota haec disputatio theoriam magis

magis, quam praxin medicam respicit; dubito enim, facile ullum, et si vel accerimus occultæ hujus farinae inflammationis defensor sit, methodum antiplogisticam proprie dictam, ad tollendam eam, adhibeturum.

Atque hæc sunt, quæ *michi* verisimilia videntur. Materiam ad disputandum proposui, de qua equidem in utramque partem differi posse, haud ignoro. Nec, me multa hic omisisse fateri, erubesco.



Emendanda

Pag. 2. *) *Kanilf legatur Kanif.*

— 5. *) The Works Robert — The Works of
Rob.

— 7. lin. 18. carryng — carrying.

— 9. lin. 12. ille — illi.

— 19. a lin. 12. *legatur*: tempestatem pluvii
gravem, diu asperam, — commorationem
in noso. — assumptionem ciborum —
diu protractam.



Hannover

— der Alte Friesen —

— der alte Koper — der Weine —

— der alten — der alten — der alten —

— der alten — der alten — der alten —

— der alten — der alten — der alten —


— der alten — der alten — der alten —

— der alten — der alten — der alten —

— der alten — der alten — der alten —

4078

D. CA



2

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MÉDICA
SISTENS DVRIA QVAEDAM
CONTRA
**INFLAMMATIONES
OCCVLTAS**
IN

D.
A
SV
1
D.

x-rite colorchecker CLASSIC

